DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.

NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

TIMOTHEUS KERIN,
HIBERNUS.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO,
APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCCC,VI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

AMICO SUO CARISSIMO,

ET EIDEM CONSANGUINEO,

EDVARDO MARLBOROUGH FITZGERALD,

URBIS DUBLINI ARMIGERO;

PROPTER EXIMIAS EJUS ANIMI DOTES,

HOC PIGNUS AMICITIÆ,

CONSECRAT,

AUCTOR.

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

SECUNDO vel tertio die, poſt partum, Puerperæ, horrore plus minuſve fugaci et vehementi afficiuntur; aliquando, rigor, admodum levis eſt vel penitus abeſt, aliquando etiam, poſt certa intervalla, redit, et induit ſpeciem febris intermittentis, quinetiam incidit, quod ægra, poſtquam horreſcere primum inceperit nunquam poſtea incaluerit, notatu dignum eſt quod quamvis hic morbus, ut plurimum invadit, tempore ſupra dicto, tamen multo citius aut ſerius aggreditur, ita ut in quibuſdam apparuerit, etiam ante partum vel intra paucas poſt partum horas, in aliis non ante diem nonum vel decimum quartum. Rigori ſuccedit calor magnopere

auctus, etsi aliquando tam parum augeatur, ut ex ejus gradu non certo scire potuissemus utrum febris adsit, necne. Ægra dolore in variis partibus abdominis vexatur, circa lumbos, ilea, et dorsum dolet, tumet abdomen etiam ad pristinam ante partum magnitudinem, dolet etiam anterior pars capitis præsertim, supra supercilia. Adsunt præterea vertigo et vigilia gravis, sed delirium nunquam vel perraro, et tantum instante morte aggreditur. Lingua initio saltem humida est, mollis, et alba, versus finem aliquando sicca, scabra, fusca, vel nigra fit; dentes raro crusta ejusdem generis obteguntur. Sitis molesta adest, et sapor ingratus oris ægra nausea vexatur, et ventriculus omnia rejicit, nisi frigida et acidula sint, in vultu et oculis feritas quædam et solicitudo insigniter depicta apparent, spiritus valde demissi sunt, et ægrotæ infaustum exitum præsagiunt.

Diarrhœa quasdam ab initio invadit, aliis autem ineunte morbo, alvus astricta est, et diarrhœa postea tantum supervenit; fæces primo virides vel flavæ sunt, dein fuscæ nigræ et fœtidissime fiunt;

singulæ

ſingulæ dejectiones etiam, aliquod levamen præbent; urina cruda parce et cum dolore redditur; color ejus per morbi decurſum ſæpe mutatur, et verſus finem ſedimentum deponit.

Pulſus inter rigorem parvus debilis et frequens eſt, calore creſcente fit frequentior et plenior, ictus ejus numerantur, a centum, ad centum et quadraginta, morbo autem ingraveſcente fit, adeo frequens et debilis, ut ne numerari quidem vel ſentiri poſſet; reſpiratio accelerata eſt, et brevis, potius quam laborioſa, quaſi ægra horreret compreſſionem ex deſcenſu ſepti tranſverſi, et actionem muſculorum abdominalium, dolor aliquando ſentitur, in quadam parte thoracis et tuſſis moleſta adeſt, quamvis huic morbo non propria, ſed prorſus fortuita.

Denman, ſolo auctore, tumor eryſipelatoſus, ſubruber, circa ſolidi magnitudinem, vel etiam amplior in genibus, talis carpis et condylis digitorum apparet, et ſemper lethalis eſt; non omittendum eſt aliud ſymptoma quod Tissot ſolus memoravit, nempe maculam rubram ad mediam partem abdominis aſcendentem, quæ ſimul ac nigreſcat, mortem inſtantem indicat; Doctor Josephus Clarke, Dublinienſis,

vir maximo acumine ingenii præditus, et usu peritissimus, bene notat, quod symptomata referentia ea, quæ in Peritonitide obvia sunt, sæpe post partum ab aliis causis oriantur, sed si catharticis vel fomentis intra horas viginti et quatuor cedant, credendum est alium morbum potius quam peritonitidem adesse; DENMAN quoque, de quo supra dixi tradit, talia oriri, ex flatu vel ex spasmis uteri qui cito per varias partes abdominis diffunduntur, hæc, præsertim si ephemera comitetur, imperitum medicum fallunt, et sic sibi ipsi et aliis persuadet, peritonitidem cessisse nunc huic medicamento, nunc illi, cum revera nil tale adesset, eruptio miliaris, quæ aliquando in hoc morbo notatur, a ratione medendi potius quam a natura morbi pendet.

Petichiæ et vibices quoque observantur, et putredinem morbi probe designant, morbo ingravescente prostratio virium adeo magna est, ut ægra resupina jaceat, tam valde imbecillis ut in utrumque latus se vertere nequeat, nec sinat seipsam verti, alvi dejectiones involuntariæ sunt, urina, ægra inconscia, redditur, tumor abdominis aliquando subsidet, et dolor cessat, extrema frigent, pulsus

repit,

repit, et numerare nequit, ſudores colliquativi manant, dein ſuccedunt convulſiones, ſingultus, et tandem mors ipſa. Tempus quo mors evenit in aliis aliud eſt, et pendet a robore conſtitutionis, et vi morbi, in plerisque tamen accedit, ante diem ſextum, in aliis multo citius, viz. intra horas viginti et quatuor, vel triginta et ſex, in aliis tamen non ante diem duodecimum vel etiam ſerius.

SECTIO CADAVERUM.

Nisi tumor abdominis ante mortem ſubſederit, cavo ejus inciſo multum aëris fœtidi erumpit, ventriculus et inteſtina, præſertim tenuia, ſæpe aëre diſtenduntur, omentum præ omnibus aliis partibus inflammatione afficitur, et quaſi tabe confectum eſt, in quibuſdam, etiam gangrænoſum, ſed hoc proximum non obvenit, in noſocomio Dublinienſi, et Clarke, de quo antea memoravi, conjicit inſignem affectionem, omenti pendere ab hoc quod pluribus peritonæi tunicis obtegitur, quam alia viſcera; ſuſpicatur etiam, gangrænam tunc ſolum videri

occurrere.

occurrere, nimis longo intervallo temporis, inter mortem et ſectionem cadaveris interpoſito. Inteſtina etiam inveniuntur inflammata, et mutuo ſibi ipſis et vicinis partibus adhærentia; ſecundum poſt omentum, ſicut cadavera ſecta in eodem noſocomio oſtenderint ligamenta lata uteri, et caput cæcum coli præcipue læſa fuerunt, imo totum peritonæum, longe, lateque, inflammatur. Cætera viſcera abdominis plerumque illæſa inveniuntur, etiam uterus ipſe, tunica ejus externa excepta; quinetiam in cavo abdominis multum luteoli ſeroſi, et plerumque fœtidi liquoris reperitur, et præterea materies, lac coagulatum referens.

NATURA MORBI.

Quoad cauſam proximam, hujus morbi, varias opiniones auctorum quam breviſſime potero enarrabo, hi ergo affirmant, morbum oriri, vel ex ſuppreſſione lochiorum, vel ex metaſtaſi lactis, vel ex corrupto aëre, vel ex inflammatione uteri, vel omenti et inteſtinorum, vel denique quod morbus

ipſe

ipſe eſt, typhus contagioſa, vel ſaltem cum typho conjunctus. Priores duas ſententias refellere prope ſupervacaneum eſt, quoniam aliquando per totum morbi decurſum lochia et lac quoad quantitatem vel qualitatem, nullam mutationem ſubeunt; et ſi aliquando, ab aliqua cauſa, quod non raro accidit, ſuppreſſa vel retenta ſint, non idcirco peritonitidem puerperarum faciunt, omnis itaque lochiorum et lactis mutatio quoniam aggreſſionem conſequitur, judicanda eſt potius pro effectu, quam pro cauſa; nam ſi metaſtaſis lactis ſatis valeret, ad generandum morbum, nonne patet, quod aggrederetur omnes eas quæ ubera infantibus præbent, iiſdem depulſis; et omnes puerperas, lacte, ab aliquo alio morbo, vel affectione animi, ſuppreſſo. Iterum, ſi morbus eſſet typhus, vel typho conjunctus, manifeſtum eſt ut invaderet alias, pariter ac puerperas, et graſſaretur, privatis in domibus, eodem modo, ac in noſocomiis.

Puerperæ quoque delirio vexarentur, ſimiliter ac nonnulli alii, qui typho afficiuntur, ſed hoc nunquam aut perraro accidit, inſuper egomet ipſe vidi puerperas cum typho colluctantes, ſed omnibus

patho-

pathognomonicis ſignis hujus morbi quem nunc tractamus carentes, hæc doctrina, igitur, mihi videtur, a quibuſdam fingi, non quod ipſi viderunt, quod docent, nec quod cum veritate congruit, ſed quia ſe fore inclytos credunt, ſi aliquod novum quam ineptum ſit, in medium proferant, et prætérea multo facilius talia aſſerere, quam verum indagare. Ex variis hujuſce morbi hiſtoriis, nobis traditis, mihi manifeſtum eſt, corruptionem aëris ſatis pollere ad excitandum morbum in aliqua muliere poſt partum, et in aliquo loco ; et inſuper in puerperarum noſocomiis, ubi ſolum aliquid tale evenire poteſt, experientia plene probavit, ſemper morbum contagioſum, reddere ; non idcirco tamen credendum eſt cauſam eſſe proximam peritonitidis, quoniam ſi hoc eſſet verum, quandocunque hæc febris in noſocomiis oriatur, fieret quoque contagioſa, et graſſaretur per omnes puerperas ; e contrario autem accidit, nam omnibus, qui talibus aſylis verſantur bene notum eſt, quod unam vel alteram mulierem invadit, non latius autem vagari niſi munditiis neglectis, aut aëre impuro eam fovente, quacunque autem ex cauſa oritur, ſtatim inveteraſcit, et contagioſa

giosa sit, si ventilatio omnino negligatur, vel si aër aliquo modo sit impurus, ex supra dictis, videre licet, aëra vitiatum, aliquando saltem, causam esse excitantem, et semper mutare naturam morbi, ita ut, febris induat, typum putridum, et contagiosum, quoniam, tamen concedendum est, morbum existere posse, ubi aër, nec noxius, nec malignus sit, satis patet, aëra mephiticum non esse causam quam quærimus, si, per hanc causam, cum illustrissimo et sagacissimo GREGORIO nostro, intelligamus, eam, quæ præsens facit morbum, mutata mutat, et sublata tollit.

Nunc restat, ut, de inflammatione pauca dicerem, vix opus est, de tali affectione uteri ullam mentionem, facere, quoniam, sectiones cadaverum satis ostenderunt, perraro adesse, et ideo confitendum est, pro symptomate tantum non pro causa, habendam esse; quoniam, autem omnes fatentur, inflammationem omenti et intestinorum, peritonitidem, semper comitari, et, quoniam, manifestum est morbum, saltem magna ex parte, ex hac affectione constare, mihi, verisimilius videtur, hanc, potius, quam ullam aliam, esse causam supra dictam, nec, iis auscultandum est, qui affirmant, si hæc

B doctrina

doctrina esset vera, quod morbus sæveret, crebrius, latiusque grassaretur, quam nunc revera accidit, quoniam, secundum eos, causæ excitantes omnibus sunt communes, nempe, pressura ex gravido utero, et nixus inter parturiendum; hi, mihi videntur, oblivisci, quod, etsi, omnes puerperæ inflammationi pariter obnoxiæ sint, non idcirco pariter proclives; sic, non quivis incidit in typhum, etiamsi, ejus contagioni, sit obnoxius, non omnes vexantur rheumatismo, nec catarrho, nec ullo alio morbo, quandocunque eorum causæ excitantes admotæ sint; iterum, quærunt, si inflammatio sit causa morbi, quomodo unquam fiat contagiosa; tales mihi respondeant, quomodo aliquis inflammatorius morbus fiat contagiosus, nempe cynanche maligna, vel variolæ; vel qualis sit natura ullius contagii, nam, quamvis modus, quo, hoc vel illud operatur, omnium tyronum in ore sit, et, quasi ignis fatuus, eos in errorem ducit, modus operandi, non solum contagionis, verum cujuslibet alius rei, nunc eludit, et in omne ævum eludet, acumen, sagacissimorum philosophorum; sed ad rem, nonne ulcera, et erysipelas, in nosocomiis, induunt speciem malignam, ab aëris

natura,

natura genitam, interrogare velim, an facilius eſt, intelligere, qua ratione, miaſma paludum, vel efflu-via ex humanis corporibus, contagium generant, quam qua ratione, aer mephiticus excitat, vel in pejus vertit, hunc morbum, de quo nunc dicimus.

Ad ſummum, ſiquidem, mutationes lochiorum, et lactis, in hoc morbo, aggreſſionem febris conſequantur, et ſiquidem typhus, et conjunctio ejus cum typho, ſint meræ fabulæ, et ſiquidem ejus cauſæ remotæ, nonnullæ ſaltem ex his, ſemper adſint, et aër mephiticus ſatis valeat, vertere in pejus, non ſolum hunc morbum, verum etiam multos alios inflammatorios morbos, nonne confitendum eſt, me, naturæ peritonitidis, nempe, quod nunc contagioſa ſit, nunc iterum, pure inflammatoria, talem rationem reddidiſſe, ut nil objici poſſit, niſi quod ſimplex ſit, et quod experientia, et ſectio cadaverum, ejus veritatem ſatis probarunt.

DIAGNOSIS.

Dolores, hunc morbum comitantes, facile, a doloribus quæ poſt partum ſubeunt, dignoſci poſſunt, nam hi, remiſſiones admittunt, et iterum poſt intervallum redeunt, dum illi, per totum morbi decurſum, ægram vexant; inſuper, nulla pyrexia, poſteriores comitatur, ſed prioribus ſemper adeſt; fortaſſe, ridiculum foret, inter hunc morbum et febrem lacteam, diſcrimen memorare, ni inclyti auctores hanc rem notaſſent, quaſi, aliqua mulier, quamvis ægrota, vel medicus quamvis ſtolidus, vel obſtetrix quamvis temulenta, non poſſit diſcernere, inter tumorem, dolorem, et tenſionem, mammarum, et eaſdem affectiones abdominis; dignoſcuntur a colica, propterea quod, in hac, dolor abdominis preſſu levatur; in illa augetur, in colica etiam, alvus ſemper aſtringitur, et pyrexia raro, vel nunquam adeſt, quod contra, accidit in peritonitide; a cholera dignoſcuntur, quia diarrhœa, et vomitus, quæ in poſteriore occurrunt, multum levamen præbeant, et ſurarum ſpaſmata adſunt, abdomen tactum,

tactum, non tam graviter dolet, pyrexia fere abest, et ægra, nulla ſpirandi difficultate, torquetur; in hyſteritide dolor, tumor, et tenſeo, in regione uteri, et vaginæ, tantum ſentiuntur, ſed in altero morbo, per totum abdomen diffunduntur; in hyſteritide delirium etiam cito invadit, et os uteri tactu dolet; ephemera febris, Anglice, dicta *Weeds*, eodem modo, ac peritonitis, incipit, nempe ſtadio frigido, cui, calor, et ſudor, ſuccedunt, a quibus, morbus, plerumque intra horas viginti et quatuor vel triginta et ſex, ſolvitur.

CAUSÆ REMOTÆ.

INTER cauſas remotas, numeranda eſt graviditas ipſa, quandoquidem morbus, aliquando ante parturitionem invadit, ſed, præ omnibus aliis, nixus inter parturiendum, corpus huic morbo proclive reddunt; ad eundem modum, judicandum eſt, de omnibus, quæ, ſtatum debilitatis iducunt, vel ſyſtema irritabile faciunt, veluti pathemata mentis, et evacuationes nimiæ; ad excitandum morbum, præcipue

pue valent, aëris puri, defectus, diæta aliena, liquores vinosi, vel aromatici, calor nimius, rivus aëris frigidi, animi, affectus deprimentes, qui, aliquando morbum excitant, aliquando etiam, prædisponunt corpus, in hunc morbum incidere; injuriæ, inter parturitionem, vel vis ante partum corpori illata, abdomen, fasciis nimis arete vinctum, alvus astricta, cum multis aliis, quæ numerare, pariter grave, atque incommodum foret.

PROGNOSIS.

Fere, semper infausta est, præsertim, si, a contagione, febris originem ducat; nam in Nosocomio Dubliniensi, vix una evaserit, ex singulis quinque, quæ hoc morbo correptæ fuerint; nil, de violentia, vel duratione, morbi, sequentis, prædici potest, a vi rigoris, quocum incipit, quo citius post partum aggreditur, si modo, per aliquod tempus, sine remissione perstiterit, eo gravior, erit febris; si pulsus sit debilis, et frequens, vel si nunc tardus, nunc iterum frequens, sit, quamvis omnia alia symptomata

mata mitefcant, infauftus eventus formidandus eft; diarrhœa, ab initio, invadente, fi levamen præbeat, et pulfum tardiorem reddat, bonum exitum portendit, præcipue, fi eodem tempore, tenfio et dolor abdominis minuantur, et refpiratio, plenior, et liberior, fiat; fed, fi dejectiones frequentes, five arte, five natura, paratæ, ægrotæ, opem non ferant, magnum malum præfagiunt; fi lochia et lac fuppreffa, vel minuta fuerint, fluxus eorum reftauratus, fauftum augurium præbet; bonum eft, ut ægra, in utrumque latus, fe vertere poffet, vel, fi fuperfit, ad decimum quintum, vel decimum fextum diem, etiamfi, alia fymptomata haud multum leventur; fi inter graviditatem, alvus aftricta fuerit, diarrhœa, poft partum, fuperveniens, gravior evadit, et majorem debilitatem facit; dolor capitis, vigilia, anxietas, animus valde demiffus, periculum inducunt; quæ fequuntur, mortem inftantem minitantur, dejectiones nigræ, fœtidæ, involuntariæ, urina, fine confcientia, reddita, frequens, per morbi decurfum, vomitus, materiæ nigræ, vel viridis; dolor abdominis, repente ceffans, pulfus

tam

tam frequens, ut ne numerari quidem poſſit, ſudor gelidus, et viſcidus, circa caput, et collum, artus frigidi, genæ lividæ, ſubſultus tendinum, ſingultus, coma, vel delirium.

RATIO MEDENDI.

De Venæſectione, in hoc morbo, non omnino, inter auctores convenit; ſed ejus fautores, ſummam cautelam ſemper exigere, concedunt, et prorſus vitandam eſſe, niſi, ſtatim poſt aggreſſionem febris, adhibeatur; et mihi, quidem, duntaxat probare videntur, hanc medendi rationem, non ſemper lethalem eſſe; præterea, quoniam morbus, tam cito, typum contagioſum induit, et in putredinem, et debilitatem feſtinat, nonne ſatis conſtat, nos oportere, ab emiſſione ſanguinis ſemper cavere, præſertim, ſi in noſocomiis, febris graſſetur; ad hoc tamen remedium, decurrendum eſt, ſi ægra, eodem tempore, peripneumonia vexetur, patet autem tunc uſurpandam eſſe, non ad peritonidem puerperarum ſummovendam, ſed ad affectiones pulmonum levandum;

dum; verisimile quidem est, hirudines abdomini admotas, multum conferre, ad dolorem, et tensionem minuendum.

De usu, ipecacuanhæ, tam magnopere a Gallis celebratæ; CLARKE, a me, antea laudatus, sic notat, videri, levamen præbere, cum febris sit ephemera, nam illa quoque, cum rigore incipit, et tunc temporis, a peritonitide puerperarum, nullo modo, dignosci, potest; in febre autem puerperarum, prodesse arbitratur, si dejectiones, non vomitum, moveat, et sic, in promptu est, quare plerumque spem nostram fallit.

Cathartica autem, maxima vi prædita sunt, tum, ad prævertendum morbum, tum etiam, ad tollendum; ergo, si modo certiores facti simus, de natura morbi, maximi momenti est, talia exhibere, quæ quam citissimè, alvum ciere possint, hujuscemodi sunt, sales neutri, et oleum ricini, quod ad optimum modum administrationis attinet, catharticum omni mane exhibendum est, et haustus anodymus, hora somni, enemata quoque emollientia, huic morbo admodum accommodata videntur, tum ad partes in-

ternas fovendum, tum ad alvum leniter laxandum, epifpaftica etiam, a quibufdam laudantur.

Fomenta calida, abdomini, admota, ad tenfionem, et dolorem, minuendum, magnopere conferunt, fed nos oportet, ea, fæpe repetere, et in ufu eorum diu perftare.

PROPHYLAXIS.

Mulieres, per totum, graviditatis, tempus, modica exercitatione uti, permagni intereft, convenit etiam, cavere, ab alvo nimis aftricta, et ope medicamentorum, eam ciere, fi femel in die non fponte dejecerit; quod ad diætam attinet, omnia ea, quæ corpus nimis ftimulant, fugienda funt, et gravidam, iis tantum uti, oportet, quæ nutrimentum fimul præbent, et facile concoqui poffunt.

Veftes, porro, non omnino negligendæ funt, nam fi nimis arctæ fint, magnum periculum, faciunt, ne poft partum, inflammatio fuperveniret. Inter parturiendum autem, medico, maxima cautela, opus eft, ne animum inducat, ad ufum inftrumentorum

decurrere, nisi, ad salutem mulieris, vel infantis, prorsus necessaria sint; insuper, in educenda placenta, similis cura exercenda est, et festinationem, et violentiam, pariter vitare, medicum oportet; post partum, abdomen fascia leniter comprimere decet, ægrotam, somno, et quieti, committere debemus, et eam tranquillam servare, omnia itaque, quæ animum perturbant, vel eum, deprimere possunt, studiose vitanda sunt, cubiculum, probe ventilare necesse est, ita ut, aer purus, et frigidulus, potius quam calidus, sit, ægræ tamen lectus, rivo, ejus, non objici debet, medici vero, iterum, atque iterum, monendi sunt, quod, nihil majoris momenti est, quam alvum mature movere, nempe post partum intra horas viginti et quatuor, vel triginta et sex, vel etiam citius, si sensus molestiæ, et dolor abdominis, urgeant, et idem repetere, altero quoque die, etiam ad tertiam, vel quartam vicem, multum sæpe proderit.

FINIS.